

ex viro, & illo fuit inferior, etiam in statu
integritatis.

CAPUT XIII.

De Peccato.

I. **P**osito peccato ponitur materiale & for-
male. Materiale peccati est qualitas
vel actus: formale est privatio, eaque non
otiosa; sed actuosa. Hæc facit ut qualitas
& actus, quæ per se bona sunt, mala sint.
Itaque peccatum per se non est ens positi-
vum: sed materialiter, quatenus privatio
rectitudinis inesse debita est in qualitate
aut motu aliquo, sicut videmus in luxa-
tione cruris privationem sanitatis afficere
motum, neque tollere motum, sed illius
ordinem & rectitudinem.

II. *A peccato licet argumentari ad de-
cretum Dei quantum ad permissionem & di-
rectionem.* Nam Deus ab æterno prævi-
dit labilitatem hominis, eamque non de-
crevit impedire, sed contra statuit per-
mittere, ut illa labilitas seu mutabilitas ex-
iret in actum. At cur non impedivit?
Resp. Quia iudicavit melius esse, ut illa
potentia exiret in actum, quam ut non ex-
iret. Neque tamen fecit, ut exiret in actum:
non magis certè, quam cum sole receden-
te aëris